Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Sumere quisque tamen debet eum quem sequi
Pontificis mores clerus plus fidelis
Debet in exemplum semper habere sibi
Nil in eo vicii vel nil virtutis haberi
Condecet ut forma sit gregis ipse sui
Non leviter ligat aut solvet quemque potestas
Sit preciosa minus ex levitate sui
Simplex non duplex blandus non lesus honori
Non oneri studeat civibus esse suis
Nunc sua ligari debet non hunc aliena
Quolibet obtentu diripuisse decet
Nam si sit simplex oculus mentis tenebrosum
Totum corpus erit tota que vita sequens
Si quem habes mundum totus virtutis in unum
Pontifice veniat vix vox esse satis
Utrumque tenet adhoc sit ut via dux que
Nil ergo vicii debet adesse sibi
Non odium non amor obtenent racionis acumen
Non oculum cordis vox tenebrosa negat
Non caro non sanguis quod sit facienda revelet
Unum pontifici spiritus unus dei
Nil faciat quod amor carnis vel swaserit ira
Nec quia perpitat ille trahendo ligat
Sit baculus claudo sit lumen ceco egenti
Copia pes lapso consilium que reo
Et veniat ad eum dolor et gemitus viduarum
Pauperis et lacrimam videat esse suam
Causa pupillorum sua sit vel cedat adeptum
Quam non abstulit pauper ab ede sua